

di delicta, quæ a personis Deo dicatis committuntur eo graviora sunt, majusque scandalum inducunt, quo eadem personæ perfectioris vitæ studiis incumbere, bonumque sui exemplum cæteris præbere arctiori suæ professionis vinculo obligantur; ideo dictus Philippus Rex opportunum in præmissis remedium a Nobis adhiberi plurimum desideret: Nos præclarum, & Catholico Rege dignissimum ejusdem Philippi Regis zelum magnopere in Domino commendantes, piisque ejus votis, & supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, pro conservatione, & incremento regularis disciplinæ, ac Divini Obsequii, in præfatis Monasteriis Monialium in universis Regnis, & Dominiis Hispaniarum, hujusmodi consistentibus hac nostra perpetuo valitura Constitutione, ne deinceps ullus Religiosus Clericus, vel Laicus, cujuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis existat, ad januas, rotas, crates, seu collocutoria dictorum Monasteriorum cum illorum Monialibus tam professis, quam novitiis, vel mulieribus, seu puellis secularibus ibidem educationis causâ de Sedis Apostolicæ licentia degentibus, aut earum ancillis tractare, vel communicare, seu eas visitare, aut alloqui (præterquam ex causâ necessaria, iusta, seu legitima) audeat quovis modo, vel præsumat, auctoritate apostolica districte prohibemus, & interdicimus.

Annotat. Pont. ut in Rubr.

Pœna contra inobedientes.

Et ad occurrendum inconvenientibus, quæ ex ejusmodi visitationibus, & allocutionibus Monialium oriri possent, omnibus, & quibuscumque Prælati Monasteriorum Monialium in ejisdem Hispaniarum Regnis, & Dominiis existentium ipsorumque Monasteriorum Superioribus quocumque nomine nuncupatis, Rotariis, Janitricibus, Sacristanis, ac Monialibus, & Ancillis earumdem præsentibus, & futuris, illorumque, & illarum singularis in solidum in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris lætæ sententiæ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum per eos, & eas respective obtentorum pœnis ipso facto incurrendis, districte pariter præcipiendo injungimus, ut statim, atque præsens Const. eis intimata fuerit, seu ad illorum, & illarum notitiam pervenerit, caveant unusquisque, & unaquæque illorum, & illarum respective, prout ad se spectabit, ne ejusmodi visitationes sub quocumque prætextu, colore, vel causâ ad januas, rotas, crates, vel collocutoria, seu in alia quacumque parte Monasteriorum hujusmodi a quibuscumque regularibus Clericis, vel Secularibus recipiant, neve illos alloquantur, aut eos alloquendi, seu cum eis tractandi, eorumque visitationes excipiendi causâ sese ad januas, rotas, crates, seu collocutoria, aliamve quam-

libet partem Monasteriorum hujusmodi conferant, nec visitationes, seu allocutiones hujusmodi cuiquam tacite, vel expresse, aut alias quomodolibet permittant exceptis tamen genitoribus, fratribus, ac patris, & avunculis ipsarum Monialium, quibus licebit suas respective natas, sorores, & neptes Moniales in collocutoriis, & non alibi, de licentia Superioris visitare, & alloqui, non tamen in Adventu, & Quadragesima, quibus temporibus ne illis quidem hujusmodi visitatio, seu allocutio permittatur.

Alia decernit ut in rubrica.

Quia vero in aliquibus Monasteriorum præfatorum crates collocutoriorum ex mala introductione ita laxæ, & apertæ sunt, ut per earum foramina brachia porrigi, & manus utrimque conjungi possint; idcirco crates hujusmodi ita coarctari, & disponi jubemus, ut id amplius fieri nequeat. Mandantes, ac sub eisdem pœnis, & censuris injungentes Superioribus dictorum Monasteriorum, eorumque Vicariis, ubi nullus alius Superior fuerit, ut statim, atque præsens Constitutio eis intimata fuerit, hanc reformationem, & coarctationem cratium disponere, & executioni mandare non prætermittant, Quod si aliquæ Moniales professæ, vel Novitiæ, aut ancillæ, vel puellæ, seu mulieres seculares in Monasteriis hujusmodi educationis, vel famulitii causâ, aut alio titulo de licentia dictæ Sedis degentes necesse habuerint cum aliqua persona pro dispositione, & exactio- nis suorum reddituum, & jurium, aliisque justis de causis tractare, & communicare, unaquæque illarum ea super re licentiam petat a Superioris sui Monasterii, necnon ab illius Superiore si ad fuerit, sin minus a Vicario ipsius Monasterii, qui de necessitate hujusmodi informati ejusmodi licentiam concedere possint, limitate tamen, vel pro unica vice tantum, idque in scriptis, ac ea lege, ut illic assistat aliqua Monialis ex senioribus, quæ audire, & videre possit quidquid ibidem agi, & dici contigerit. Omnes autem scripturæ, quæ Monialibus de cætero mittentur, ab illis nec legantur, nec aperiantur, nisi prius eas ad suas respective Superiorissas detulerint; quæ animadvertent an sint valde frequentes, & suspicioni causam præbere possint, quo casu eadem Superiorissæ illas aperiant, & registrent: exceptis tamen schedulis confessoriarum, quæ aperiri non debent; hoc etiam animadverso, ut sub nomine Confessarii non sint aliorum. Porro habitus, & indumenta dictarum Monialium, sint earum statui omnino decentia, ac earum Regulis respective congruentia; Moniales ipsæ nec fucis, nec vestibus, aut ornamentis secularibus, nec capillitio promissiore utantur. Superiorissæ vero impediant, ne clausuram suorum Monasteriorum ingrediantur personæ seculares sub prætextu onera importandi, vel exportandi; si autem id necessarium fuerit, ingressuri sint ejus professionis, seu officii, cuius exercendi gratia ingredientur, nec permittant,

mittant, ut tanquam bajuli intrent qui tales non sint. Volentes, & dicta auctoritate statuentes, & contra rebelles ad declarationem incursum in censuras, ac executionem pœnarum hujusmodi, & alias prout juris fuerit procedatur.

Alia quod Confessarios præd. Monasteriorum.

§.4. Præterea omnibus, & quibuscumque Prælati quorumvis Ordinum tam Monachorum, quam Mendicantium, quibus superioritas, & jurisdictione in quocumque Monasteria hujusmodi competit, & eorum, singulis in solidum sub pœnis, & censuris præfatis injungimus, ut suis respective regularibus subditis præcepta, & censuras imponant, ne ad eadem Monasteria Monialium accedant; curent quoque ipsi Superiores, ut Confessarii ordinarii, & extraordinarii, ac Vicarii per eos nominandi, & illorum Socii sint maturæ ætatis, bonique nominis, & famæ, & ad satisfactionem Superiorissarum dictorum Monasteriorum Monialium, necnon eis licentiam, seu commissionem in scriptis per patentes literas concedant specificæ ad Monialium confessiones audiendas, alioquin, si sine ejusmodi licentia, seu commissione ad Monasteria Monialium accesserint, præcepta violasse, ac censuras hujusmodi incurrisse censentur. Socii autem quos hi Confessarii secum adducent, Moniales alloqui non possint. Ad hæc volumus, ut iidem Superiores intra bimestre a die quo præsentis Constitutionis notitiam habuerint, ipsius Constitutionis tenorem, illiusque executionem, quam fecerint, in libris ubi eorum electiones annotari solent, annotent pariter, & annotari curent, adjecta speciali nota, & obligatione, quod quotiescumque eligerit novus Prælati, vel Superior, ille hujusmodi præcepta, & censuras renovet, & donec id fecerit, præter incursum in censuras, & pœnas supradictas, officio Prælati fungi, illudve exercere nequeat, nec ejus Subditi obedientiam illi præstare teneantur. Mandabunt quoque dicti Superiores, ut tenor Constitutionis, ac illius executionis, & præcepta, seu Ordinationes hujusmodi in libris electionum dictorum Monasteriorum Monialium eis respective subsectorum similiter annotentur, & statim, atque electæ fuerint novæ Superiorissæ, Rotariæ, Janitricæ, & Sacristanæ, eis intimitur ipsa præsens Constitutio, ad hoc, ut semper observetur, ac debitæ executioni mandetur, & adimpleatur, & contra rebelles procedatur sicut supra dictum est. Ac demum Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis eorumdem Regnorum, & Dominiorum Hispaniarum in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus pariter, & mandamus, ut eandem præsentem Constitutionem in Monasteriis Monialium eorum jurisdictioni, & superioritati respective subiectis exequantur similiter, & debitæ executioni demandari curent, & faciant, Nos enim præmissa omnia, & singula in omnibus Monialium Monasteriis dictorum Regnorum, & Dominiorum Hispaniarum tam ordinariis, quam regularibus Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

Executionis Confess. committit.

bus subiectis, & subordinatis inviolabiliter observari debere dicta auctoritate decernimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes pariter ipsas præsentis literas, & in eis contenta quocumque, etiam ex eo, quod Prælati, & Superiores regulares, ac Superiorissæ, & Moniales, aliæque personæ præfata, & alii quicumque cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præminentie, & dignitatis, seu alias specificæ, & individua mentione digni existant in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentis literæ emanaverint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis iusta, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore, juris claudio, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel prætendentium consensus, aliove etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, rescindi, limitari, ad terminos juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas apositionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine concessio quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentis literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos, & quas spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate, ac præminentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariæ.

§.6. Non obstantibus præmissis, & quantum opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque apostolicis, ac in universali- bus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Monasteriorum, Conventuum, & Domorum Regularium, ac Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum,

tatum, & Institutorum, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, exemptionibus, & Literis Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, eisdem Monasteriis, Conventibus, & Domibus Regularibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & de apostolica potestate plenitudine, ac consistorialiter, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie, etiam in limite foundationis, aut per viam communicationis, seu extensionis, in contrarium pramissorum concessis, confirmatis, & pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque toris tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut quacumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad pramissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

Dat. die 30. Jan. 1665. An.X.

§.4. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Januar. 1665. Pontificatus nostri Anno X.

DIV.

Exhibet Formulam subscribendam ab omnibus Ecclesiasticis in Regnis Galliae pro confutatione quinque Propositionum Cornelii Jansenii, &c.

ALEXANDER EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. **R**egiminis Apostolici divina providentia Nobis, quamvis immeritis, com-

missi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quae Catholicae Religionis integritati, & propagationi, animarumque salutis, & Fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse iudicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus.

§.1. Quamobrem Cornelii Jansenii heresim in Galliis praesertim serpentem ab Innocentio X. fel. record. Praedecessore nostro fere oppressam, ad instar Colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem singulari Constitutione ad hunc finem edita altero assumptionis nostrae anno extingueri conati fuimus: sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhiberet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi Regni Galliae, earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni praecipue intenti contulerunt, & Charissimus in Christo filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram fre-

Postulatio formulae subscribendae pro confutatione Jansenii.

§.2. Cum autem praefatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferae hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, Augustinus, excerptas, sincere damnarent, ac proinde illam a Nobis quantocius expediri ad quaelibet effugia pracludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit: Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, formulam infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, quam Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districte mandamus; idque intra tres menses a die publicationis, seu notificationis presentium. alias contra eos, qui intra terminum praedictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

Formula a supra dictis subscribenda.

EGO N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X. datae die 31. Maji 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datae die decima sexta Octobris 1656. Summorum Pontificum me subiecio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem

Pontifex dat formulam.

eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reicio, ac damno, & ita juro; sic me Deus adjuvet, & haec sancta Dei Evangelia.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes insuper praesentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Poenae contra inobedientes.

§.4. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Dioecibus, ac locis suae jurisdictioni subjectis praesentes literas, & in eis contenta quaecumque exequantur, & executioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per sententias, censuras, & poenas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino compellant.

Transumptum fides.

§.5. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 19. Kal. Martias An.X.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1665. quindecimo Kal. Martii Pontificatus nostri Anno X.

D V.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum super patronatu principaliori S. Januarii in Regnum Neapolitanum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CUM alias propositis de mandato nostro in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum controversis inter dilectos filios Deputatos Thesauri Sancti Januarii, & Fratres Sancti Dominici, cuinam ipso-

rum debeat patronatus principalis Regni Neapolis, Sancto ne Januario, vel potius Sancto Dominico, praefati Cardinales bene, & mature perpensis hinc inde deductis, censuerint deberi Divo Januario, ac proinde festum de praepoito tanquam de Principali Patrono Regni Neapolitani fieri debere per totum Regnum de dicto Sancto Januario Episcopo, & Martyre, non obstantibus Literis Apostolicis datis die 23. Augusti 1640. ceterisque decretis ejusdem Congregationis, si ita Nobis videretur, prout in ipsius Congregationis decreto de super die 4. Augusti 1663. emanato continetur: Et sicut pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Neapolitan., ac Deputatorum Thesauri hujusmodi Nobis nuper expositum fuit, ipsi hoc Decretum Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiter summpere desiderant; Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressum memorate Congregationis Decretum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Pontifex confirmat decretum S. Cong.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria irrita.

§.3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima Martii 1665. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 20. Mart. 1665. An.X.

Con-

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Confirmatio Constitutionum pro felici regimine Congregationis, seu Confraternitatis Scholæ Christi Madriti Toletan. Diocesis, idque pro Congregationibus, seu Confraternitatibus sub nomine dictæ Scholæ Christi, & sub eandem Constitut. observantia tam erectis, quam erigendis in univ. Regnis, & Dominis Hispaniarum, ac etiam in Alma Urbe.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Enordium.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem Salvatoris, & Domini Jesu Christi bonitatem effecti illa, quæ pro Sodalitatum quarumlibet ad exercenda pietatis opera pie prudenterque institutarum prospero gubernio, salubrique Sodalium ad eternæ beatitudinis metam per viam mandatorum Dei, consiliorumque Evangelicorum usum currere satagentium directione, maturo, sapientique constituta, & decreta noscuntur esse consilio, quo firma semper, & inviolabilia permaneant, libenter cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio constabilimus, ipsiq; Sodalitatibus spiritualium gratiarum dona elargimur, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Confratres Congregationis, seu Confraternitatis sub nomine *Scholæ Christi* in Oppido Madriti Toletan. Diocesis canonice erectæ quod pro felici ipsius Congregationis, seu Confraternitatis regimine, piorumque exercitiorum in ea fieri solitorum, ac illius Confratrum salubri directione factæ, & Hispanico idiomate editæ fuerunt, cum approbatione Venerabilis Fratris Archiepiscopi Toletan. diversæ Constitutiones, quæ de Hispanico in latinum idioma versæ sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constitutiones Congregationis, & Scholæ Christi Domini nostri fundatæ sub protectione Mariæ Virginis Sanctissimæ, & Domini nostri in Nosocomio Matritensi Nationis Italicæ.

CAPUT L

De Fine, & Instituto hujus Scholæ.

Institutum, & finis hujus Scholæ profectus spiritualis est, & quod aspiret uniusquisque fratrum ad voluntatem Dei, ejusq; præcepta, & consilia in omnibus adimplenda, progrediendo ad perfectionem secundum suum cuiusque statum, illiusque obligationem, cum correctione vitæ, penitentia, & peccatorum contritione, cum mortificatione sensuum, puritate conscien-

tia, oratione, Sacramentorum frequentia operibus charitatis, aliisque sanctis exercitiis, quæ in illa docentur, & exercentur, cum æstimatione magna æternorum, contemptuque temporalium: strictiorem, ac severiorem salutis viam, atque semitam, in quocumque statu quaerendo: *Arcta via est, quæ ducit ad vitam intrate per angustam portam. Matth. 7.*

CAPUT II.

De Divino Magistro hujus Scholæ, ac de indignissimis ejus Discipulis.

Præceptorum, & Consiliorum Christi Domini nostri, Scholæque iis discendis, & exequendis omnino intentæ *Christus Magister est, Magister vester unus est Christus. Matth. 23.* divinam suam Doctrinam, & sacras actiones jubet nos discere: *Discite a me Matth. 11.* Humiles Discipuli misericordia sic magna, & sic grandi titulo semper indigni, recognoscere continuo debent a quo Magistro in Discipulos sint vocati, & quas obligationes includat hic titulus.

Profiteri debent erga Mariam Sanctissimam Matrem, ac Dominam nostram devotionem tenerrimam, servitutem amoris plenissimam, atque humillimam filiationem. Quam loco Matres piæ, Dominaeque clementissimæ Christus Discipulis suis exhibet. *Dicit Discipulo: Ecce Mater tua Jo. 12.* Ad ejus Religiosissimum cultum; sacramque venerationem, ad continuam ejus invocationem, protectionisq; demerendam gratiam attendere semper, promptique semper, ac vigilantes, ut filii subiecti, uti amantes servi esse debent, cum spe secunda obtinendi unice per ejus manus gratias Dei, beneficia, & misericordias.

Et quia placuit Deo communicare spiritum hujusmodi Scholarum Christi Discipulorum interventu S. Philippi Neri, reputabit hæc nostra, & reverebitur eum, tanquam Patrem heroicarum ipsius virtutum exemplar ante oculos sibi ponens ad imitationem, juxta suum, uniuscujusque statum.

Discipuli hujus Scholæ viri esse debent a vitis remoti, seculique fallacis, & vanitatibus, qui cum perfecta cognitione, ac firmo proposito placere Deo in omnibus, voluntatemque ejus adimplere desiderant qui oratione, ac meditatione se exercent, devoti; pii, misericordes, modesti, patientes, bonoque cæteris exemplo.

Agere debent inter se cum amore, æqualitate, & charitate fraterna: Christi enim Scholæ Discipuli fratres sunt. *Omnes autem Vos Fratres estis. Matth. 23.*

Hæc unio, & charitas, formaque exercitiorum, & uniuscujusque profectus cura non permittit eos magno esse numero. Erunt ad plurimum Sacerdotes vigintiquatuor, laicique quadraginta, & octo, quem quidem nullatenus excedere possint. Sub Sacerdotibus cum Regulares, tum secula-

res veniunt comprehensi uti sub secularibus comprehenduntur, si quis oblatum alicujus Religiosi Ordinis hujus Scholæ sit Frater, omnesque alii Ordinem sacrum non habentes.

CAPUT III.

De Obedientia.

Is qui huic Scholæ præesse *Obedientia* appellatur, ideo ut a nomine etiam ipso Superiores doceantur cæteri, quam ante te omnes curare debeant de promovenda in se hujus virtutis perfectione, qui in omnibus Christi operibus adeo resplendit. *Filius obediens usque ad Mortem. Ad Philipp. 2.* In his omnibus, quæ operabitur, docebit, & ordinabit, divinæ legi, consiliis, & voluntati obediens. Hoc in munere ejus est, virtutem hanc colere, & docere sanctæque obedientiæ exemplum aliis præbere exercitiis omnibus, & Congregationibus præest gubernationi, directioni, disciplina, ac profectui Scholæ invigilat. Exhortari debet Fratres ad virtutem, & perfectionem doctrina, atque consiliis Evangelicis, inculpabilisque vitæ exemplo. *Qui fecerit, & docuerit. Matth. 5.* Idque ut consequatur ad orationem continuo recurrere, a Deoque petere lumen sibi primum quod deinde aliis communicare possit, gratiamque, & vires ad exequendum in se ipso, quæ alios postea docturus est. Ex consilio deputatorum operabitur, & in gravioribus consulet quoque antianos. Ejus, ac cæterorum Officialium munera per quatuor menses durant.

Si paucis diebus ille absit, officio ejus in schola fungitur, & in Congregationibus deputatis primus Ecclesiasticus; eoque absente, secundus. At si absentia longior mensis fuerit, Congregatio Antianorum, alicum, qui locum ejus subeat, nominabit: morientemque, aut alio sive redeundi proposito absente, Congregatio eadem, deliget suffragis secretis obedientiam, qui usque ad finem quadrimestris hoc munus gerat.

CAPUT IV.

De Deputatis.

Deputati quatuor erunt, duo Sacerdotes, duoque Laici. Sacerdotes quidem eo spiritu, fervore, doctrinaque, ut in defectum obedientiæ, munus hoc peragere possint: & generaliter tam hi, quam illi magnæ pietatis, & prudentiæ, ac de Constitutionibus, decretis, dictaminibus, regimine, atque exercitiis scholæ apprime docti: Hi omnibus in Congregationibus suffragium habent, ac veluti Consultores obedientiæ sunt. Fratrum profectus, atque defectum inspectores, veræque eorumdem Fratrum, sanctæque fraternitatis promotores esse debent; opitulique eorum necessitatibus spiritualibus, & corporalibus, referendo eas obedientiæ, atque in rebus gravioribus Congregationi Antianorum,

ad hoc ut decernatur, & ordinetur, rematu e perpensa, id quod gratius Deo, atque utilius Fratribus sit futurum. Qui admitti ad scholam cupient, ab his Deputatis ex mandato obedientiæ examinabuntur.

CAPUT V.

De Secretario.

Secretarius habere debet optime notas Constitutiones, Decreta, atque exercitia, notosque item scholæ fratres; interesseque continuo, & diligenter exercitiis omnibus, & Congregationibus. Cui muneri deligetur is, qui fuerit magnæ capacitatis, modestiæ, & probitatis. Suffragium habet in omnibus Congregationibus, absenteque eo, coadjutor ejus: Librum penes se habet decretorum, & admissionis fratrum, qui recipiuntur, annotatque quis eorum, quaque hebdomade in scholam non venit, de quo monet Congregationem, quæ singulis mensibus fit, ne ignoretur uniuscujusque diligentia, aut negligentia, inquiraturque in causam absentiæ, & quod expediat ordinetur. Cui rei curet fratrum nomina in quadam tabula descripta habere, itaut facile annotare possit venientes in scholam, atque ea finita eos, qui abfuerint, necnon eos, qui excusatum se miserint, annotabit: excusatio autem justa pro presentia est; Epistolarum ad scholam aliunde remissarum, seu ab eadem scribendarum custodiam, & curam habet, necnon omnium instrumentorum, quorum tamen præcipua cum libris decretorum, & admissionum in Archivo esse debent duabus clavibus munito, atque ex his alteram Obedientia penes se habebit, alteram Secretarius. In diebus scholæ, & Congregationis anticipabit aliquantulum, ut si quo opus est mature id expediat. Coadjutor ei assignatur, qui absentis vices gerat, ne aliquis non sit, atque ut fratres ad exercendum id munus habiles reddantur.

CAPUT VI.

De Nuntiis.

Nuntii quatuor sunt, duo Ecclesiastici, & duo seculares; Ecclesiastici curam habent Altaris, & Oratorii, distribuunt flagella, et schedulas meditationis; seculares manent secus portam Oratorii, prohibentque ne alii præter fratres eo intrent, nisi cum licentia, comitantur eos, quibus introitus conceditur, usque ad locum, in quo sedere debent: Obedientiæ referunt, si quis ingredi volens, aut quidquam nomine alterius nuntiaturus ad portam accesserit, & si quid aliud referri oportet. Assistent, & comitantur Novitios receptionis die, atque in omnibus, quæ illos facere oportet, dirigunt. Tam Ecclesiastici, quam seculares fratrum zelatores sunt, monereque Obedientiam debent, si quem defectum, gravem, & publicum alicujus fratris no-

verint

verint, aut talem, ex quo, quantumvis gravis non sit, resultare possit aliquid inconveniens. Venient ad Oratorium ante horam præscriptam, ut omnia in tempore sint parata. Diligenter hi ex modestioribus, majoreque charitate, & diligentia præditis. Nominantur item quatuor alii Coadjutores duo ex Ecclesiasticis, ac duo Seculares, ut absentium Nuntiorum vice fungantur.

CAPUT VII.

De compositione Oratorii, & quinam in id admitti debeant.

IN Altari Oratorii ponentur Imagines Christi Domini Crucifixi, & Mariæ Domine nostræ cum ornatu decenti, mundo, & modesto, absque eo quod curiosus, aut dives sit: & supra sedem Obedientiæ alia Sancti Philippi Neri Patris nostri. Ante Altare collocabuntur duæ calvaria, totidemque mortuorum ossa, duoque flagellorum fascicula. In fine Oratorii contra Altare scabellum erit humile, quo sedet Obedientia, & ante eum mensa parva, & humilis, atque in ea erunt Calvaria, liber Constitutionum, carthulæ meditationis, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, horologium, & campanula. In medio Camera tria scabella æque humilia, unum ad latus Evangelii, quo exercitans, duo e regione, quibus exercitati videntur: in circuitu per totam Cameram Fratres sedebunt in scamnis humilibus, & planis. Fenestræ clausæ erunt, & lumen solum candelabrum, utpote ad colligendos sensus conducens, admovebitur. *Clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Matth. 6.*

Quibus diebus Scholæ habentur Fratres tantum eo introibunt, excepta tamen si qua persona eximia adeo virtutis, & meritum, cujus præsentiam eo, quod videbitur, tempore, utilem scholæ, ac proinde gratam Deo futuram, Obedientia, & Deputati existimabunt, maxime si regularis sit. In quo tamen prudenti examine, & multo rigore utentur.

De Fratribus aliarum scholarum, quibus ingressus permittetur, cap. 21. tractabitur.

CAPUT VIII.

De exercitiis diei, quo Scholæ habetur.

OMnibus quintis feriis Hebdomadæ post meridiem, habetur Congregatio, seu Scholæ, excepto quod in Majori Hebdomada transferitur in feriam tertiam.

Incipere debet duobus ante solis occasum horis, secundum anni tempestatem. Fratres paulò ante venient, statimque sine mora nemini colloquentes ingredientur cum modestia, & summo silentio in Ecclesiam, ibique ante vivificum Eucharistiæ Sacramentum genibus flexis manebunt,

corda colligere, atque ab omnibus curis temporalibus, & quacumque alia distractione avertere procurantes, disponendo se ad sancta ea, ad quæ veniunt, exercitia, Deumque precando, ut accepta illo sint, & quod præstet eis lumen, & gratiam suam, ut istis horis, vitæque residuo, sanctæ Dei voluntati obsequentes fructuose utantur.

Præscripta adveniente hora ad nutum Obedientiæ dato signo, cum eadem modestia, & silentio ingrediantur Oratorium; Obedientia occupabit suum scamnum. Deputati duo Ecclesiastici ad latera ei sedebunt, primoque eorum proximus Secretarius Nuntii Altaris juxta Altare, & Nuntii Portæ juxta eam, ceteri quo ingrediantur ordine, sine differentia, & sine ulla urbanitatis exhibitione, utpote humilitati, & christianæ fraternitati, quam in Scholâ Fratres profitentur, vere contraria.

Ante Oratorii ingressum enses in certo aliquo loco deponunt. Pallium, & galeum post, aut sub scamno, quo sederit unusquisque, mittit, in gestu manens profundæ humiliationis, tanquam is, qui auctoritatem, cultum, curas, & negotia secularia deponit, parvitatem suam, & nihil suum recognoscit, Deique Majestatem reverentissima humilitate adorare desiderat. In quo etiam oculos habebunt ad imitandam humilitatem, atque exemplum Christi Domini nostri. *Et ponit Vestimenta sua. Joann. 13.* Cupientque simul prævis habitibus expoliari, quibus natura indui solet.

Posternunt sese omnes ad terram, & facto signo ab Obedientia sese in genua erigunt: tunc ille ait: *audetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.* Aspergit fratres aqua benedicta, recitatque orationes alias quæ in postremo ponuntur capite. In recitanda confessione iterum fratres prosternunt se, quemadmodum hi, qui serius veniunt, facere debent statim, atque ingrediantur, quousque signum dederit Obedientia.

Absolutis precibus, Obedientia legit considerationem aliquam devoram super id, quod meditationi feria quinta antecedenti fuit propositum. Mentalisque oratio per spatium dimidiæ horæ habetur. Interim jaculatorias preces unam, aut alteram de eadem materia dicit fervori fratrum intendendo. Et ad absolvendam Orationem cæteris humi provolutis, actus aliquos doloris, contritionisque peccatorum distat, verbi gratia: *Peccavi Domine miserere mei,* aut similia: repetuntque eadem fratres. Miscet autem his ille affectus quoddam, sive exclamationes ad peccatorum poenitentiam, atque Amorem Dei excitandum. Deinde Litanias, & Orationem, quæ in ultimo Capite est, recitat.

Signum dat, & sedentibus fratribus, signoque Crucis frontem munientibus introducit is breviter solidæ, ac fervidæ meditationis, super qua conferendum est, articulum. Deinde tres fratres vocat, quorum

rum unus reliquos duos in examine, & interrogatione exerceat. Interim tamen omnes simul hi tres infra loca exercitandorum ingeniculantur, nemo eorum præsumens vocatum se esse, ut examinet, & exerceat reliquos duos. Obedientia tunc unum eorum jubet Exercitantis locum occupare, excitandorum reliquos, verbisque gravibus, atque ædificantibus monet, ac exortatur Exercitantem (qui ex fratribus ferventioris spiritus esse debet) ut ad Deum oculos, & cor erigat, eumque precetur det sibi lumen, ut cum fructu possit fratres illos examinare, consiliis salutaribus erigere, & perfectionis viam iis commonstrare, aliamve hujus propositi.

Exercitator munies se signo Crucis, humiliter agnoscens indignum se eo munere, quod sibi imponitur, si aliquem in Scholâ exercitans defectum commiserit, flexis genibus, refert. Obedientiaque aliquam ei poenitentiam imponit, qua perfecta fedet, fratrumque singulos interrogat, an illa hebdomada impleverint officia, & exercitia Scholæ, an meditati sint super puncto designato, & quid specialiter de illo, aut in illo cogitaverint.

Respondent singuli eorum, facto Crucis signo cum humilitate, sinceritate, & modestia, de plano, ac breviter, sine discursibus, aut digressionibus, absque eo, quod interiora, relque Confessori reservatas inclucet, sed de iis se accuset tantum defectibus, quæ ad Constitutionum pertinent adimplementum; veluti quod quotidiano examini non excusserit conscientia; quod Egrotos in Hospitali non visitaverit, quamvis culpa careant hi defectus. Et hæc dicit flexis genibus, atque Obedientia imponet unicuique poenitentiam sibi placitam.

Exercitator monebit eos de iis, quæ in Deo judicaverit secundum responsa eorum futura utiliora, quæ confirmare poterit aliquo sacræ Scripturæ, aut Patris testimonio pro documento, & exortatione.

Obedientia pro arbitrio suo resumat ea, quæ dicta sunt, aut eorum partem, expendatque ut fratres moveat, & accendat adductis sacræ Scripturæ, aut Sancto- rum locis, subtilitatem, & multiplicationem locorum devitans, ut profit, non ut gloriam sibi querat; ad animarum utilitatem, defectuum emendationem, virtutumque exercitationem omnia dirigens. Sciatque muneris sui esse mortificare omnes, laudare neminem.

Post hæc quasdam tribus illis poenitentias, quibus ceteri ædificantur, imponit. Osculantur illi terram cum vocati ad exercitium ingeniculantur, & cum exercitium absolvunt.

Iterum, tertioque vocat (si expediens videbitur) tres alios fratres eodem modo, ac primos, & singulos tres idem, quod jam dictum manet, exequantur.

Procurat in quadrimestri suo neminem cuiuscumque sit gradus in exercitatum remanere, & ipse exercitari se aliquando faciat; & hoc exercitandi munus idone-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

jobus imponat. Præterea quando sibi placuerit, etiam si præfens sit, injungere poterit alicui ex fratribus Obedientiæ officium, ut formentur personæ illius capaces, atque item ab Scholâ, uti tales cognoscantur.

Ultimum exercitium absolvetur aliquo actu ferventi amoris Dei, & peccatorum contritionis, sicut de Oratione mentali dictum manet.

Post hæc Nuntii Altaris distribuunt flagella, & lumina extinguunt. Obedientia tunc cum tono gravi, tardo, ac devoto dicit Dominicæ Passionis Summarium, versusque illos, qui in capite finali positi sunt. Et cum perventum est ad verficulum: *Abre- hende discipulam*, flagellatio incipit, recitantque tam Obedientia, quam ceteri Fratres alternatim per choros Psalmum: *Miserere mei Deus.* Et Psalmum *De Profundis*, actumque contritionis, ut in dicto Capitulo finali. Quibus absolutis dat signum Obedientiæ: & dum Fratres se componunt, injungit eis, ut recitent *Pater Noster*, & *Ave Maria* tot vicibus, quoties, & pro intentione, quæ in dicto Capitulo referuntur. Tunc Hymnus *Nunc dimittis* alternatim, ut Psalmi recitatur, & cum versus ille: *Lumen ad revelationem* dicitur, introducit lumen alter ex Nuntiis Portæ, & candelæ accenduntur. Obedientia ait: *Fratres emendemus in melius*, ut in dicto Capitulo finali; datoque signo redit unusquisque ad locum Sedis suæ.

Legit Meditationem, & Jaculatoriam hebdomadæ sequentis, quæ conformia erunt Evangelii per annum, sequenturque omnino spiritum Ecclesiæ. At in Quadragesima erunt de Dominica Passione. Cernunt tunc Fratres ter repetuntur Jaculatoriam, datoque ab Obedientia signo sedent. Obedientia dat Nuntiis Altaris schedulas dictæ Meditationis, ut eas distribuunt, intereaque legit caput quoddam Constitutionum, ut memoria ei retineantur.

Duos Fratres assignat qui proxime sequenti hebdomada de Oratorio mundando, & purando curam habeant, id munus inter omnes distribuens.

Quando Fratrum aliquis egrotaverit, duos alios designet, qui cum nomine scholæ visitent, atque ii observabunt, quæ illis imponuntur in Cap. 12.

Postea exortetur cum ferventi animi sensu Fratres ad Jesu Christi Domini adorationem. Pergat ipse, & nomine omnium ante Altare adoret; comitantibus ipsam corde Fratribus, cum magna humilitate, & reverentia super faciem cadentibus.

Adoratio tribus genuflexionibus faciendâ est, primum in parte inferiori Camera, iterum in ejus medio, tandem prope Altare, dicto per singulas genuflexiones, *adoramus te, &c.* Quod Fratres repetunt: & ad finem dicit Orationem *respice quesumus, &c.* ut in dicto Cap. finali. Cum revertitur tres alias genuflexiones faciat, Mariam Virginem Dominam nostram adorans, & salutans *Ave filia &c.*, ut in d. Cap. H. Quin-

Quinta feria concurrente Dominica Nativitatis, aut eam subsequente, una cum Obedientia omnes Fratres vadit Puerum Jesum adoraturi, & cum prostraverint se ante Præsepe, Obedientia prorumpet in aliquos amoris sensus super hoc Myserio.

Die Epiphaniæ, si erit feria quinta, si ve feria quinta proxime eam sequente, vadunt Fratres singuli terni ad Orationem, peracturi, ter principio, & medio Oratorii, & juxta Præsepe humi præcumbentes. *Procedentes adoraverunt Matt. 2.* Nempe ante alios Obedientia cum duobus Deputatis Ecclesiasticis, deinde tres alii de uno ex choris, quos alii tres de altero sequuntur, & hoc Ordine cæteri, & in ultima prostatione tantillum durantes, redeunt ad Sedes suas ex illa parte, qua suus illis chorus est, sine ulla genuflexione, venientibus ne impedimento sint. Cæteri flexis genibus expectant.

Omnia quintis feriis a Vesperis Nativitatis usque ad Epiphaniam, si hoc Festum incidit in talem diem, si ve usque ad quintam feriam Epiphaniam proxime sequentem, flagellatio cessat; quemadmodum, & in die Corporis Christi, & infra Octavas Paschæ, & Pentecostes, in hisque omnibus prolixiores aliquanto sunt Oratione, & exercitia, itaut duas horas juste compleant.

Feria tertia Majores Hebdomadæ, & si festum Inventionis vivificæ Crucis Majoris mensis veniens in quintam Feriam incidit, aut proxima post id, eodem modo, ac in Festo Regum, sit Crucis adoratio, alta voce alternantibus Fratribus versus Hymni: *Vexilla Regis prodeunt, &c.* qui est in *Capit. final.*

Omnia hæc exercitia sic ordinanda sunt, ut duas horas non excedant, scilicet Oratione Mentalis mediæ, tria exercitia unius, reliquumque alterius mediæ horæ spatio duret.

Finita adoratione Obedientia ait: *Procedamus in pace:* cui Fratres; *in nomine Domini:* terramque osculantes, & pallia resumentes cum modestia in Ecclesiam exeunt, atque Sacram Eucharistiam adorant, de eo quod tam sanctis exercitiis interfuerint gratias Deo agentes Deiparam Virginem Oratione Angelica salutant, & cum eodem silentio, & modestia in principio dicta proficiuntur, interius aliquod affectum suorum silentium consequi procurantes.

CAPUT IX.

De diebus Communionis Generalis, & quid in his observetur.

Præter Communionem particularem, de quibus agitur in *Capit. 14.*, sit Communio Generalis singulis Dominicis secundis uniuscujusque mensis, primo die Pentecostes, die nominis Mariæ, ac die S. Philippi Neri Patris nostri, & quando aliquis ex Fratribus diem suum obierit.

Congregantur Fratres in Oratorio di-

ligenti conscientia examine prolixiore, quam alias Oratione, Sacramentali; confessione jam præparati. Silentium, modestia, & reverentia, tanto magis his, quam in scholæ diebus augeri debent, quanto excellentius est Deum in Sacramento adorare, & recipere, ineffabiliterque, atque intime ei uniri; consideratis inter motiva alia devotionis, & teneritudinis Christi Discipulorum nomine, & professione.

Tantisper in Oratione manent, quousque signum dat Obedientia, ut sedeant. Tunc ille breviter, atque aptis diei verbis accendit eos, & exhortatur, tandemque mutuum charitatem suadet, si forte inter eorum aliquos disconvenientia causa sit. *Vade prius reconciliari Fratri tuo. Matt. 5.* In genua cadunt, singulique Ordine alterne dicunt: *Si in aliqua re Fratres meos offendi, precor mihi parcant, atque ego idem facio,* & cum dixerint, terram osculantur.

Vestit se Obedientia, cui Nuntii Altaris cum superpilliceis assistunt, Missamque celebrat privatam ea devotione, quam tanti Sacrificii Ministrum decet, eumque a quo discere debet tam sancta Schola. Pergunt fratres singuli bini ad sumendam Eucharistiam, par fratrum ex uno, & par aliud ex altero choro, atque eodem modo cæteri, ter humo procumbentes.

Gladios relinquunt Oratorium ingressuri, pallia vero non relinquunt memoria retinentes Christum Dominum nostrum, quantumvis paupertatem, & humilitatem semper amaverit, ornatum tamen, & apparatus eligisse institutum hoc divinum Sacramentum: *Cenaculum grande Stratam, Marci 14.* ad idque vestes resumpit: *Accipit vestimenta sua, Joan. 13.*

Oratione habetur postea, qua Deo gratias pro tam magno beneficio redduntur. Absolvitque Obedientia dicens. *O Sacrum Convivium, ut in Capit. final.*, factoque signo exeunt, cum toties dicto silentio, & modestia.

CAPUT X.

De die Corporis Christi.

HOC die post meridiem habetur Schola cum quinta feria sit, præscriptisque horis manifestatur propter solemnitatem ejus diei in Oratorio Sacrosancta Eucharistia. Ornatur Altare cum munditia gravi, & decenti. Sedilia exercitiis deservientia, Obedientiæ mensula, Calvariæ, ossa, & flagella hoc die non videntur.

Congregantur Fratres in Oratorio; vestitusque Obedientia cum cappa pluviali, comitatus duobus Nuntiis Altaris, aliisque duobus Fratribus Sacerdotibus cum superpilliceis, in Ecclesiam venit, procedentibus reliquis Fratribus cum cereis in manu accensis (quæ inter eos distribuuntur Coadjutores Nuntiorum Altaris) ea cum modestia, attentione, & circumspectione, qua debent Christi Discipuli euntes questum, transportatumque in Scholam Divinum suum

suum Magistrum. Extrahit Obedientia Sanctissimam Hostiam e Sacrario, ducitque in processione, alternantibus Fratribus versus Hymni: *Pange lingua, qui est in Capit. final.*, collocatque in Altari Oratorii. Spoliat se, ac tendit in locum suum; Fratresque postquam in genua procubuerunt, & humum osculati sunt, erigentes se penes scannam ingenuculantur. Omissioque aspersorio, & cæteris orationibus, legit Obedientia devotas quasdam de Sanctissimo hoc Sacramento consideraciones, super quibus meditantur per tres horæ quadrantes; interimque obedientia jaculatoriis aliquot orationibus devotis, teneris, ac ferventibus utitur; tandemque oratio absolvitur dicente Obedientia Fratres, *Tantum ergo Sacramentum, venerationem cervui.* Procumbuntque humi omnes, durantque aliquantulum in hoc gestu corporis facientes interiores actus fidei, adorationis, & amoris.

Sedentibus omnibus (quod propter debilitatem aut infirmitatem aliquorum, ut abit inæqualitas, permittitur) corde tamen prostratis cum summa reverentia, & humilitate, ter vocat Obedientia, ut moris est, singulos ternos ex fratribus, ut exerceant, & exerceantur. Qui ingenuculantur eo in loco, ubi aliis diebus scannula sunt, aut si Obedientia necessarium videatur, jussu in terra sedent. De Constitutionum adimplemento non interrogantur, nec defectus suos proficiuntur, vellet enim Schola in nullo defecisse filios suos, præsertim hac die, aut Magistro huic Divino inofficiosos fuisse. Quamvis enim secretiores defectus ei patent, atque oculis ejus manifesti sunt, decet tamen hos, cum realiter, & corporaliter Dominus adest, non audiri. Tum propter gaudium, & letitiam, qua debemus ei assistere, exultantur hoc die actus omnes manifestationis, & poenitentia; *Namquid possunt filii sponsi lugere, quando cum illis est sponsus. Matt. 9.*

Exercitia reducuntur ad collationes, documenta, & exhortationes circa infinitum amoris excessum, quo voluit Christus Dominus in Sacramento inter Nos manere, Divinique hujus Sacramenti effectus, & circa modum, quoad eum excipiendum præparare Nos, excepto gratias habere, & pro tam ineffabili beneficio gratos reddere, nos debeamus. Respondeant exercitati ad interrogata modeste, ac breviter id, de quo singulos Deus docuerit. Qui deinde monebuntur ab exercitantibus, excitabunturque ad majorem venerationem, & servitum hujus Sacramenti, & ad effectus misericordiae ejus mirabiles, tempore, ac defectibus non impediendos.

Obedientia exercitantium dicta in summam redigit, si ve quod monere magis, aut excitare majorem fervorem possit, adjungit. Exercitia hodie plus quam aliis diebus per horæ quadrantem protelari possunt. Imponit Obedientia, ut pro summo Pontifice, pro Rege &c. ut moris est, Deum Fratres precantur. Tunc vestibus

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

resumptis cum eodem Assistentium cæterisque cum cereis accensis comitatu pergit ad Custodiæ reddendum Sanctissimum juxta cæremonialis regulas: & fratribus dicentibus: *Tantum ergo &c.* benedictionem illis dat cum Sanctissima Hostia, quam quidem illi recipere debent sic reverenter humiliter, & confidenter, quasi a Christo visibiliter apparente sibi elargitam, æque reverenter, ac devote procedentes, eandem Sacram Eucharistiam usque ad Sacrarium comitantur, quo cum inclusa fuerit, osculantes humum redeunt cum Obedientia ad Sacristiam, indeque cum summo silentio, & modestia unusquisque abit.

Hoc die propter id quod in præcedenti capite dictum est, pallia non deponunt.

CAPUT XI.

De memoria, & exercitio mortis.

Ubet Nos Christus Dominus noster paratos esse ad illam horam, qua ei placuerit, nos vocare. *Vos estote parati, Mat. 24.* Quæ cum ita incerta sit, & ignorata: *Sero au media nocte, au Galli mane, Marc. 13.* continuo parare nos debemus, ne subitanea imparatis superveniat: *Ne cum venerint repente inveniat vos dormientes, ibid.*

Igitur Scholæ Christi Discipuli nunquam non parare sese debent, ne imparatos inveniat eorum Dominus, cum venerit, mortemque ob oculos ponere, strictumque judicium, quo Nos judicaturus est, cuius quidem memoria transformat in melius vitæ sufficiens est: Christus præsentem habuit obitum suum, loquebaturque de eo frequenter, etiam in Gloriosa Transfigurationis, permittitque, ut pati, atque mori jam tunc inciperet, mortem suam in timore sibi, atque agonia representari, quotannisque confessione in generalem, ac testamentum facere, a culpis, & imperfectionibus se avertentes, virtutibusque ferventer se exercitantes, itaut Deo vivere, culpisque, & passionibus mori procurent.

Quod ut commodiori ordine consequantur, disponunt sese tertia pars Fratrum antiquiorum quatuor primis anni mensibus hac forma.

Facere debent intra hoc quadrimestre Generalem Confessionem ejus temporis, quod post aliam ultimo factam erit transcursum, si ve quo alio modo eorum Patri Spirituali visum fuerit, ordinareque suum testamentum, res suas disponendo, eaque quorum sese agnoscent debitores, quo modo poterint in præsentem rerum statu, persolvendo, quemadmodum facerent, si se vidissent morti propinquos.

Quotidie aliquod temporis spatium, præter consueta alia Scholæ exercitia, meditationi mortis, strictique, cui subjacebunt judicii se exercere debent, actusque aliquos contritionis ferventes, tanquam jam morituri facient, de futura sibi forte cum mors advenerit, vel unius actus faci-